

PA 6459

.W3

Copy 1



PA 6459

.W3

Copy 1

PA 6459

.W3

# OBSERVATIONES LIVIANAE.

## DISSERTATIO PHILOLOGICA

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AUCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM  
ORDINIS

IN

UNIVERSITATE FRIDERICIA GUILIELMIA RHENANA

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

ET UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIIS

DIE IX. MENSIS IULII ANNI MDCCCLXIV

PUBLICICE DEFENDET SCRIPTOR

**HUGO WACHENDORF**

RHENANUS.

ADVERSARI ERUNT:

BRAMBACH, SEM. PHIL. NUPER SEN.

HERMANN, SEM. PHIL. SOD. ORD.

WEYHE, STUD. PHIL.

51811

**BONNAE**

TYPIS EXPRESSIT PETRUS NEUSSER.

MDCCCLXIV.

PA 6459  
.W3

11/17

IOANNI FREUDENBERGIO.



In praeclarissimis humani ingenii monumentis, quae veteres scriptores prodiderunt, cum saepe animum offendant maculae seu temporis iniquitate seu hominum fraude inspersae: eas ut detergerent viri ingenio ac doctrina egregii per multa saecula enixo studio elaborarunt. Itaque iam eo perventum est, ut multorum scriptorum opera ad eum nitorem eamque accesserint elegantiam, ut a vera forma aut nihil omnino aut non longe certe abesse videantur. Quorum in numero Livium equidem ponere haud dubito, postquam Madvigius emendationes suas Livianas edidit, quibus nescio, utrum ipsi scriptori an nominis sui immortalitati melius consuluerit. Verum etsi, quod ad hunc scriptorem spectat, longe plurimum Danicis curis deberi nisi nimio quodam Germaniae studio occaecati facile omnes concedent: magnam tamen scriptoris emaculati laudis partem ut iure ad se trahere possit Germania, factum est opera Freudenbergii, Hertzii, Hervageni Kochii, Seyffertii, Valeni Weissenbornii, aliorum qui manum emendatricem Patavino attulerunt. Cum talibus viris equidem non inibo certamen; sed cum artis criticae exerceendae ea ratio eaque lex sit, ut nec omnia vitia ab uno detegantur aut detectis statim inveniatur medela aut ea inventa talis sit, qua nulla alia certior esse possit aut probabilior: accedit mihi in Livii annalibus perlegendis, ut quidam loci aut pro

sanis praeteriti aperte corrupti esse viderentur aut pro corruptis iam habiti certiozem medelam admittere. Itaque cum et pauca, quae antea temptaveram, elegantium iudicium adprobatione haud destituta viderem simulque tempus instaret, quo mihi summos in philosophia honores parandos proposueram: toto Livii opere iterum pertractato aliquot locos conlegi, quibus huiusce scriptoris emendationi, si tantum sperare fas est, pro virili parte et ipse mihi videor consuluisse. Quare, quod reliquum est, peto omnes quorum erit de his rebus iudicare, ut animo volenti ac propitio accipiant hasce litterarum mearum primitias; quibus si haud inutilem operam me conlocasse suo iudicio adfirmaverint: id se sciant temporis et laboris consumpti praemium mihi tribuisse, quocum nullum aliud duco comparandum.

---

**Lib. I, 14, 7.**

*Ibi partem militum locis circa densa obsita virgulta obscuris subsidere in insidiis iussit.*

Haec verba, si foedum in modum corrupta esse, pluribus vellem demonstrare: rem actam agere mihi viderer, nisi nuperrime defensorem nacta essent disertissimum, dico Madvigium. Attamen quod ingenii eius acumen alias nunquam non solemus admirari: id hoc loco suo iure desiderasse videntur docti interpretes. Neque enim, quod Livius semel dixit *arborem conserere* (X 24), inde fidem faciet eum etiam *obsita virgulta* dixisse, si quidem comparamus constantem scriptoris usum loquendi, exquo *obsitus*



idem valet quod *tectus*, *coopertus*\*) ; et quod ad *obsita* verbi molestiam diluendam interpretatus est *passim sparsa* merito notatus videtur a Queckio\*\*), quod ista interpretatio adiectivo iuxta posito (*densa*) sane contraria esset; denique alia restant sat gravia, quae omnino non tetigit, vitia. *Obscuris* enim sive cum *insidiis* vis iunctum: absurda nascitur tautologia, iam ab aliis castigata, quod, quae non obscurae sunt insidiae, desinunt esse insidiae; sive ad *locis* trahi iubes: id per ipsam verborum: *circa densa obsita virgulta* conlocationem non licere vidit Seyffertius; „ita enim, ait\*\*\*), causa obscuritatis ablativo *circa densis obsitis virgultis* expressa, non nova loci descriptio addita expectaretur.“ Ac dicant, quaeso, qui verba ita iungunt, unde ortam putent istam obscuritatem, si quidem loca illa non virgultis cingebantur aut inter virgulta, sed *circa sita* erant, ita ut undique ad ea lux posset accedere?

Quare quid mirum, quod Madvigius talia defendendo viris doctis bilem mirum in modum movit? Hi vero ipsi eas excogitarunt medelas, quae aut non omnia, quae in tradita lectione vitiosa sunt, tollunt, aut ob mutandi licentiam omni fere carent probabilitate. Ac pars quidem criticorum scriptoris verbis glossam subesse suspicati sunt; quae ubi lateat, alia aliorum est sententia. Queckius enim, utrum *obsita* ex superscriptione vocis *densa* aut *densa* ex superscriptione vocis *obsita* ortum sit, ipse ambigit. Sed sive *densa* glossema esse putas: id ipsum verbum (*obsita*) retines, quod haud immerito viris doctis difficultates movit; sive *obsita* loco cedere iubes: nemini persuadebis, tam notam

\*) II, 23, 3: *Obsita erat squalore vestis*. XXI, 54, 1: *Erat in medio rivus obsitus virgultis vepribusque*. XXVIII, 2, 1: *Confragosa loca et obsiti virgultis tegebant colles*. XXIX, 16, 6: *Decem legati obsiti squalore et sordibus*.

\*\*) Programm d. Gymn. z. Sondershausen, 1861, p. 12.

\*\*\*) Jahns Jahrb. f. Phil., Bd. 83, p. 63.

vulgatamque vocem qualis est *densa* per minus vulgatam *obsita* explicatam esse; ne quid dicam quod, utrumcunque retineas, maneat difficultas, quo trahendum *obscuris* sit.

Kleinus contra locum sic exhibens: \*) *Partem militum locis circa denso obsitis virgulto subsidere in insidiis iussit, obscuris* expungit, ut additum ad explicanda verba *denso obsitis virgulto*. Sed neque id videtur verisimile, quoniam illorum verborum sensus facile per se apparebat; et in cetera coniectura haereo in singulari numero (*virgulto*) quem nusquam me apud scriptorem legisse memini, contrarium saepissime \*\*).

Longe diversam emendandi viam ingressi Heerwagenius \*\*\*) et Weissenbornius excidisse aliquid arbitrati sunt. Itaque ille praepositionem *ad* interposuit inter *circa* et *densa* †), quae perfacile sane intercipi potuit, sed huic loco non apta est, quoniam, quae loca obscura sunt, non ad *virgulta* (in der Nähe von Gesträuchen) sed inter *virgulta* debent sita esse. Quare melius fecit Weissenbornius, quod hanc ipsam praepositionem (*inter*) in textum inter *densa* et *virgulta* recepit, errore inde explicato, quod syllaba *obs* e voce *obscuris* alieno loco inlata esset; *ita*, quod super esset pro *intra* vel *inter* scribi potuisse. Sed et hic prave coniunguntur *obscurae insidiae* et pravus est verborum ordo, quod utrumque vitium notavit iam Madvigius. Nec feliciter rem gessisse videtur Grysarius ††) legendo: *Locis circa densis obsita virgultis obscuris*, quod sic vertit: „an

\*) Programm von Wetzlar 1849, p. 4.

\*\*) Praeter locos XXI, 54, 1, XXVIII, 2, 1, supra iam laudatos cf. XXIX, 32, 9: *Equites inter virgulta ulterioris ripae omer-serunt*, XLII, 63, 9 *Transita per distracta virgulta patuit*.

\*\*\*) Münch. gel. Anz. Bd. XVI, p. 661.

†) Quod pro *obsita* legendum proposuit *opposita* sumptum est e nullius fere codice pretii: Voss II.

††) Theorie d. lat. Stils 2te Aufl. p. 14.

Stellen, die in der Nähe, vor oder hinter Strecken lagen, die mit dichtem Gebüsch bewachsen waren<sup>4</sup>. Quae enim, ut alia taceam, istae sunt sermonis ambages: an *Stellen* in der Nähe von *Strecken*<sup>4</sup>?

Restant coniecturae Seyffertii et Hertzii; sed ne eae quidem probabiles. Nam quod Seyffertius, quid sit *exercitum circa densa virgulta subsidere in insidiis iubere* facile se intelligere dicit; *locis circa densa virgulta* non item, nisi haec loca suo genere distincta et definita sint: neque huius argumenti rationem me perspicere fateor et quod ipse legendum putat<sup>\*)</sup>: *Partem militum lucis circa densa obsita virgulta obscuros subsidere* seq.: etiamsi *obsita* de virgultis dictum recte habere concederem, iam ob id puto improbandum esse, quod non nisi permire luci circa virgulta possunt cogitari; virgulta enim sunt pars lucorum et in ipsis lucis sita. Denique Hertzii coniectura: *P. milit. locis circa densis obsitis virgultis obscuris* seq. quam etiam in textum recepit, etsi, si *obscuris* cum antecedentibus verbis iungimus, omne sententiae simul et structurae vitium tollit; omni tamen caret externa, quam vocant, probabilitate.

Quid igitur si ne una quidem litterula aut mutata aut deleta aut addita locus ita potest restitui, ut iustam offensionis causam habeas nullam? Tantum memineris velim, quam late serpat illud errandi genus, quo scriptoris verba transposita pravo loco sint locata. Exempla affert Madvigius p. 12. Tali modo si hoc loco voces *ob* et *circa* locum mutasse putas: nihil, opinor, desiderabis ad rectam et vere Livianam orationem. Scribe enim: *Partem militum*

---

<sup>\*)</sup> Sequor nunc alteram Seyffertii coniecturam, quam proposuit in libro supra laudato p. 843. Nam quod antea temptaverat: *Partem militum lucis circa densa obsita virgulta, obscuris subsidere in insidiis iussit*: propter praepositionis collacationem ipse reprobandum duxit.

*locis ob densa circa sita virgulta obscuris, subsidere in insidiis iussit.*

Cf. XXVIII, 2 in: *Ibi in cava valle atque ob id occulta considerare militem iubet.*

**Eiusd. libri 23, 7.**

(In oratione Mettii Fufetii:) *Iniurias et non redditas res, ex foedere quae repetitae sint, et ego regem nostrum Cluilius causam huiusce esse belli audisse videor, nec te dubito, Tulle, eadem prae te ferre.* Haec cum ferenda non esse ipse sensissem: nihil mihi contingere potu it optabilius, quam ut, in pertractando Madvigii opere longius proventus, hunc virum et ipsum testantem [ad IV, 20, 7] viderem, nihil simile se legisse; in talibus enim consensus fere pro argumento est. Sed ut rem ipsam teneamus: ad structuram illam, ex qua ad *audisse dicentem* vel *dicere* supplendum putant, defendendam ad unum solumque illud exemplum\*) poterunt provocare, locum et ipsum vitiosum et Gronovii cura iam satis probabiliter emendatum. Praeferunt tamen ibi etiamnunc de mira dicendi verbi ellipsi somnare, quam e Gronovii certa eaque leni mutatione se deleto rectam et elegantem sermonis formam restituere. Ceteris autem exemplis ad tuendos hos locos conlatis nihil effici, pluribus docere vix opus est. Sunt enim talia: II, 33, 2: *in his Sicinium fuisse seditionis auctorem; de duobus qui fuerint minus convenit.* III, 55, 5: *Sanciendo novam legem, ne quis ullum magistratum sine provocatione crearet.* XXXVI, 6, 6: *Praemissis litteris, ut Demetriadem convenirent principes.*

Praeter hoc structurae vitium in ipsa sententia non

---

\*) IV, 20, 7: *Hoc ego cum Augustum Caesarem ingressum aedem Feretrii Iovis, quam vetustate dilapsam refecit, se ipsum in thorace linteo scriptum legisse audissem seq.*

dixerim pravi sed molesti aliquid inest. Nam cur in Mettii personam tantum sermonis pondus (et ego audisse videor — necte dubito) cadat, causam non video; id enim quaerebatur, quid altera ex parte Albanum regem, Cluilius ex altera Romanum Tullum ad bellum inferendum commovisset; itaque consentaneum erat, etiam inter hos tantum oppositionem fieri.

Utramque hanc molestiam removebimus scribendo: *Iniurias et non redditas res, ex foedere quae repetitae sint, et e rege nostro Cluilio causam huiusce esse belli audisse videor, nec te dubito, Tulle, eadem prae de ferre.* Haec coniectura audacior videtur quam est. Nam ex praepositione *e* sequente *rege* facile oriri potuit *ego*, quo recepto, omnis sublata erat sententiae structura. Itaque verba *rege nostro Cluilio* accommodavit aliquis ad infinitivum *audisse videor*.

**Lib. III, 5, 8.**

Cum Romani milites ab hostibus fusi in castra compulsi essent ibique obsiderentur:

*venisset in periculum summa rerum ni T. Quinctius peregrinis copiis cum Latino Hernicoque exercitu subvenisset* Sententiam pravissimam oriri, si — quae unica huius loci, salvis quidem grammaticae legibus constructio est — verba *peregrinis copiis* pro dativo accipiantur, quibus auxilium latum sit, indicante, etiam non docti a Madvigio facile omnes sentimus. Romanis enim Latini Hernicique, qui ipsi erant in Romano exercitu externi milites opitulati sunt, non aliis nescio quibus peregrinis copiis. Hanc igitur pravitatem ut tolleret, Madvigiis vocem *cum* foras eiecit. Seyffertio contra, cui et ipsi locum corruptum esse constat, tutius videtur transponere praepositionem ante *peregrinis copiis*, ut caveatur scilicet, ne quis *copiis* pro dativo, ex *subvenisset* apto, habeat. Utroque modo in scriptore

saepissime peccatum esse, res est notissima; hoc autem loco sive Madvigii sive Seyffertii emendationi subscribis: vix neges otiose adhaerere prioribus illis *peregrinis copiis* quae sequuntur. *Latino Hernicoque exercitu*, cum peregrinas illas copias Latinos Hernicosque fuisse paullo ante (cap. IV, 11) iam dictum sit. Si vero de glossa velis cogitare: vereor, ne quid potissimum eiicias, ipse haereas. Quare, quae est in verbis molestia; eam, praepositione (*cum*) nec deleta nec transposita, haud scio an probabiliter removeas scribendo: *ni T. Quinctius perterritis copiis cum Latino Hernicoque exercitu subvenisset.*

**Lib. V, 11, 14.**

(In oratione Cn. Trebonii tribuni plebis, homines ad damnandos Sergium Verginiumque ob res male gestas stimulantis): *Illos repeterent animos Quirites, quos recenti clade accepta habuissent, cum fuga trepidum, plenum vulnerum ac pavore incidentem portis exercitum viderint.*

Docet Madvigius — id quod ante eum iam senserat Gronovius — ablativum *pavore* neque in hac coniunctione a *plenum* suspensum esse, neque cum *incidentem portis* posse coniungi, quod Latine dicatur *magno pavore incidere portis, pavore incidere* nihil sit et in his assentientem habet Seyffertium. Is enim et ipse hanc coniunctionem verborum *plenum vulnerum ac pavore* ut Livio indignam putat reiiciendam. Nec tamen probavit Madvigii coniecturam sic legentis: *cum fuga trepidum, plenum vulnerum cum pavore incidentem portis exercitum viderint* quod, qui in fugam effusus plenusque vulnerum exercitus sit, eum cum pavore portis incidisse nihil attineat dicere. Itaque ipse legi vult: *cum fuga trepidum, plenum vulnerum a pavore, incidentem portis exercitum viderint.* Plenum enim vulnerum fuisse putat Romanorum exercitum a pavore, quae certe pauciora accepisset, si aliqua restitisset con-

stantia. Equidem ut paullo languidiorem mihi post illa *fuga trepidum*, *plenum vulnerum* in Madvigii coniectura praepositionem (cum) videri concedo, ita Seyffertii inventum multo magis etiam censeo improbandum. Nam ne verum quidem est a pavore vulnera accipi; immo quo pavidiore sunt milites, eo celerius fugientes hostium impetu se subtrahunt; et si verum esset, tamen in magna illa trepidatione describenda commemoratio ista causae, cur pleni vulnerum Romani fuerint, admodum frigida est. Quare ad loci mendam tollendum coniicio: *cum fuga trepidum, plenum vulnerum, actum pavore, incidentem portis exercitum viderint* quo quidem verbo quod ad illa *incidentem portis* magis adpositum sit, dubito num ullum invenias.

Cf. VII, 36, 13. *Quos intra vallum egerat pavor, omnes caesi.*

**Lib. VI, 5, 5.**

(De tribunis lege agraria plebis animos sollicitare frustra conatis): *Haud magnopere plebem moverunt\*) et infrequentem in foro propter aedificandi curam et eodem exhaustam impensis eoque agri inmemorem adquem instruendum vires non essent.*

Cum librarii cuiusdam futili coniectura pro *eodem eandem* in textum inrepsisset, Rhenanus e Vormatiense codice *eodem* restituit et ita nunc legitur in editionibus ex Parisini et Medicei, optimae notae codicum, auctoritate. Restat tamen gravissima meo quidem iudicio de loci sinceritate dubitatio. Nam ne nunc litigem cum viris doctis, structura: *aedificando\*\*)* *exhaustum esse impensis* pro eo quod est:

---

\*) Sic scribo ex coniectura Madvigii pro *moverant*, quod in editionibus circumfertur.

\*\*\*) Hoc enim ad *eodem* audire nos iubent; inepte alii enarrant: *propter aedificandi curam*; cura enim ad animum pertinet

*exhaustum esse impensis in aedificandum conlatis sitne latina necne: eodem certe apud Livium nil significat nisi eundem in locum; in caussali, quam vocant, significatione alibi nusquam reperiri recte monuit Weissenbornius. Quae si reperiretur: ne tum quidem, ut Terentii mea faciam, res in vado est. Nam orationis forma est ea, cuius alterum exemplum per totos Livii annales non invenias. Vide enim, quam moleste in una eademque sententia caussae se excipiant: *Haud moverunt plebem infrequentem in foro propter aedificandi curam et eodem exhaustam impensis eoque seq.* Talia a Liviana elegantia, ut quae maxime, aliena sunt. Denique non prorsus negligendum videtur, quod in Klokiano cod. ne legitur quidem *eodem* sed *eo*. Ex his omnibus suspitio mihi oritur, hoc loco factum esse — quod saepe accidit — ut duo verba prave in unum coaluerint Liviumque sic scripsisse: *Haud magnopere plebem moverunt et infrequentem in foro propter aedificandi curam et eo tempore* (scil. quo inlata est mentio legis) *exhaustam impensis eoque seq.**

**Lib. IX, 12, 6.**

Post Fregellas coloniam necopinato adventu Samnitium occupatam, cum timor mutuus et Samnites et Fregellanos usque ad lucem quietos tenuisset:

*Lux pugnae initium fuit, quam aliquamdiu aequam, et quia pro aris ac focis dimicabatur, et quia ex tectis adiuwabat inbellis multitudo, tamen Fregellani sustinuerunt.*

Vitio laborat hic locus ad coarguendum perfacili, sed cui remedium nisi admodum incertum equidem adferre non

---

neque ob curam aedificandi, sed ipso aedificando i. e. iis rebus comparandis, quibus in aedificandum opus est, opes exhauriuntur; atqui eas nullus, quod sciam, scriptor latinus *curam aedificandi* vocavit.



possum. Arguit autem mendum particula *tamen*. Nam aut prorsus lippus sum homo aut pugna aequa et ea, quae ab hoste sustinetur, tantum abest, ut opponi inter se queant, ut in eo ipso pugna aequata sit posita, ut alter hostis alterius impetum sustineat; nam, qui non sustinet, eius res est inferior, alterius superior. Haec qui concesserint — planiora autem videntur, quam quae quis possit non concedere particulam *tamen*, quae rem oppositam indicat, hoc loco omni sensu carere, non ibunt infitias. Nec vereor, ne cuiusdam animum expleat, scita haec Alschefskii enarratio: „Videtur Livius, cum *tamen* scriberet, exprimere voluisse, victoriam primo se magis ad Samnites inclinare visam esse.“ Ergone, quamquam pugna aequa fuisse diserte narratur, tamen ad alterutram certantium partem victoria potuit inclinare? Tali modo enarrare quid est aliud, quam scriptorem insimulare, aliud aperte dixisse, aliud dicere voluisse? — Nec tamen, quam manifestum est vitium: tam facilis certaue, ut iam dixi, medela; nisi quod hoc mihi perspicere videor, ob verba *tamen sustinebatur* scriptorem aliquid debuisse praemittere, quo primum Fregellanis pugnae fortunam minus prosperam fuisse, significatum fuerit. Igitur pro *aequam* notionem prorsus contrariam requiro. *Iniquam* tamen non ausim substituere, quod, quomodo in contrarium potuerit corrumpi, intellectu difficile esset. Magis probabile erit ob litterarum similitudinem ante *aequam* vocem aliquam intercidisse, quam vide, ne recte investigaverim sic coniiciendo: *Lux pugnae initium fuit, quam aliquamdiu nequaquam aequam, et quia proceris sep.: tamen Fregellani sustinuerunt.* Nocuit in verbis *nequaquam aequam* syllabarum *aquam-aequam* similitudo. — Ceterum si qui erunt fastidiosarum aurium, qui vocem *nequaquam aequam* ingrato sono offensi, nusquam Livium ita locutum censeant: non intercedam, quin *neutiquam minime* vel simile quid substituant, quamquam nec tam facile

haec ante *aequam* potuerunt intercipi et Livius illam soni molestiam non semper studiose vitat. cf. II 48, 2 *Priusquam quisquam agrariae legis auctor existeret.* III 7 5: *Ibi haudquaquam aequo proelio certatum est.*

**Lib. X, 5, 8.**

ubi Cn. Fulvio legato, qui ab Etruscorum abundante multitudine ad pugnam tractus, ita iam urgebatur, ut in ultimum discrimen Romani adducti essent, dictator M. Valerius Maximus trepidis nuntiis arcessitus auxilio venisse narratur, sic legitur: *Emissus eques* (scil. dictatoris) *libero cursu in hostem invehitur incompositisque* (Etruscis) *adversus equestrem procellam subitum pavorem offundit.* *Itaque ut prope serum auxilium iam paene circumventis* (Fulvii copiis), *ita universa requies data est.*

*Universa* illa requies, licet criticorum neminem sollicitum habeat, me tamen non sinit quiescere. Nam quod germanice adnotant „vollkommene (Alschefskius) vollständige (Weissenbornius) Ruhe“: nemodum exemplum protulit adiectivi *universus* sic usurpati, ut alicuius rei summum gradum ac modum significet. Ista enim exemplorum quasi nubes, quam ad hunc locum in Drakenborchii editione conlatam video, ea est, ut non solum nihil in illam partem valeat sed suspicionem meam confirmet egregie atque adaugeat. Quod ne temere me contendisse quis putet: videat iam mecum, si libet, quales sint loci illi, ad quos nos ablegant: IV 27, 5: *Nec cessatum a levibus proeliis est, facile patiente dictatore conferendo vires spem universae victoriae suos praecipere* VII, 11, 1: *Et hercule tanti ea* (sc. inter T. M. Torquatam et Gallum) *ad universi belli eventum dimicatio fuit, ut seq. XXIII, 16, 4. Proelia parva inter urbem castraque fiebant, quia duces nec prohibere paucos temere provocantes nec dare signum universae pugnae volebant.* Apparet horum locorum — ei quos reli-

quos feci a prolatis non differunt — longe aliam esse rationem atque eius quocum mihi res est. Nam *universa victoria* aptissime opponitur eis, quae in levibus proeliis inter singulas exercituum partes factis reportantur [IV, 27, 5]; nec minus apte Torquati cum Gallo illo pugna quae inter duos fiebat, universo bello, in quo omnibus utriusque exercitus copiis fortuna temptabatur [VII, 11, 1]; denique *universa pugna* quid sit comparata cum ea, quae inter paucos temere provocantes pugnabatur nemo est, quin statim intelligat [XXIII, 16]. In his omnibus exemplis adiectivum *universus* nihil recedit abusitata significatione, qua rei, cuius plures partes sunt, comprehensionem indicat, quae hic quidem ob id non potest locum habere, quod de unotantum labore, pugnandi sermo est; minime vero talibus locis potest effici, *universus* dictum esse pro *summus* vel *maximus* ut isti volunt. Quod etiamsi concederem, habent tamen verba, quo displiceant. Sententia enim tantum abest ut apta sit, ut pondus illud sermonis (*universa r.*) absurdi aliquid ac subinepti habeat, quasi, si fessis pugnando militibus simpliciter requies data narretur, inde non consequatur eos iam nullam pugnae partem capessisse; praesertim cum apud Romanos *quietem dare* certa videtur fuisse locutio, cui non addi solebant adiectiva, ut et nos loquimur: „Ruhe gönnen.“ Cuius rei, nequis me cupidius exempla conlegisse insimulet, proponam aliquot locos, quos liber ordine proximus mihi supeditat: XXI 35, 5. *fessisque labore ac pugnando quies data militibus* 37, 6. *Quies muniendo fessis hominibus data* 58, 1. *Dum intolerabilia frigora erant, quies militi data est.*

Denique, qui Liviani sermonis elegantiam habent cognitam, velim adtendant ad totius sententiae formam, quam inconcinnam seabramque esse, neminem puto negaturum. Nam verbis *ut prope serum auxilium* respondent *ita requies data est*; cetera: *iam paene circumventis* pendent; nihil enim quod iis respondeat legitur.

Haec omnia mihi consideranti sub voce „*universa*“ videtur vulnus latere, quam suspensionem iam viro docto, quem citat Gronovius, in mentem venisse video. Coniecturam eius: „*universis requies data est*“ primum ob languidam sententiam probare nequeo. Quid enim opus erat commemorare, ex Cn. Fulvii copiis proelio impari confectis, adventu dictatoris non parti tantum sed omnibus quietem datam esse? quasi a dictatore latum auxilium tantum ad singulos quosdam pertinere potuerit. Deinde etiam sic desideratur eius temporis notatio, quae opposita est verbis *iam paene circumventis*. Quare correctio loco mea sententia ita paranda erit, ut ex corrupto illo *universa* eruatur aliquid, quod verbis *iam paene circumventis* sit oppositum. Neque id investigare difficile est; sic enim puto legendum esse: *Itaque, ut prope serum auxilium iam paene circumventis, ita fortuna versa requies data est*. Respondent sibi chiasmi quem vocant ordine: *prope serum auxilium — requies data est et paene circumventis — fortuna versa*. Huic loco similem habes XXXIII, 7, 8. *Cum Romani nuntios ad ducem mitterent premi sese, quingenti equites et duo milia peditum prope rem inclinatam restituerunt, versaque fortuna Macedones laborantes opem regis implorabant*. XXXVIII 25, 15: *Integri profligatam pugnam acceperunt; itaque versa extemplo fortuna est, versus in victores a victis terror*.

**Lib. XXII, 12, 4.**

Hannibal, cum post splendidam ad Trasumennum lacum victoriam, Qu. Fabium Maximum dictatorem ad pugnam lacessere frustra conatus esset: *ubi quieta omnia apud hostes nec castra ullo tumultu mota videt, increpans quidem, victos tandem quos Martios animos Romanis in castra rediit* seq.

Posui verba, quemadmodum ex optimis codd. Puteaneo et Mediceo habemus descripta, quae cum corrupta et mutila esse manifestum esset, iam pridem exercuerunt criticorum ingenia. Ac Gronovio quidem, sic legenti. *Victos tandem quoque Martios animos Romanis* merito obloquutus est Fabri, quod *quoque* et pravo loco positum (debebat dici: *Romanis quoque*) et ad sensum otiosum sit. Nulla enim hic expectatur comparatio inter alios populos antea et Romanos nunc devictos. Nec tamen Fabri ipse audiendus est, qui vocem *quos* ut ortam ex praecedente *victos* foras eiecit; id enim qui fieri potuerit, inter utramque vocem *tandem* intercedente, cui nulla est cum depravato illo *quos* syllabarum similitudo, nulla potest ratio iniri. Iure igitur, quicumque postea huic loco manum emendatricem intulerunt, ex hac ipsa voce aliquid eruere conati sunt. Ex his omnibus proxime accessit ad codicum vestigia Weissenbornius legendo: *Victos tandem? quo Martios animos Romanis?* Sed prave divelluntur *victos* et *Martios animos* quoniam tale aliquid (*victos tandem* scil. Romanos) omnino Hannibal non poterat quaerere; non enim nunc primum victi erant Romani ad Ticinum Trebiamque claudibus iam acceptis; et tale quaerendi genus nescio quid scurrilis habet ironiae parum aptae ad eam, quae tum erat, Hannibalis condicionem. Multa alia quae temptata sunt (*illos quondam suos aliquando*) ut ad sensum satis scite excogitata esse lubenti animo concedo: item inde satis apertam esse crediderim corruptelae originem. Experendum igitur, possitne aliquid inveniri, quod et sensui satisfaciat et non nimis longe a codicum scriptura recedat. Igitur conicio: *Increpans quidem victis tandem demptos Martios animos Romanis* seq. Cf. XXXII, 21, 7. *Fortuna et dat fiduciam et demit.* — Apparet quam facile ex *tandem demptos* syllaba *dem*, quae bis scribi debuit, semel scripta oriri potuerit *tandem ptos*; inde ad structuram ful-

ciendam *victis* depravatum est in *victos*; quod vero pro *ptos* substitutum est: *quos* etsi ipsum sensu carebat, saltem recta forma erat.

**Eiusd. libri 28, 9.**

(De M. Minucio Rufo, magistro equitum, qui neglecto Q. Fabii Maximi dictatoris consilio, ne pugnam temere cum hostibus committeret, vana sui fiducia et temeritate ductus vehementissime proelium deposcebat): *Dux ipse inter stolidissimos, ferocissimosque ad arma vocat et vanis animis et minis increpat hostem*. Sic scribunt Puteanei et si qui post eum codices ad criticum usum ullum momentum faciunt auctoritatem secuti.\*) Stare autem hanc lectionem non posse et alii senserunt et evidenter demonstravit Madvigius, quod neque *vani animi* de uno homine recte dicantur neque quemadmodum *minis*, quae in verbis sint, aliquem increpemus, item *animis*. Igitur vir summus, cum in deterioribus aliquot codicibus nil legatur *et vanis minis increpat hostes*, priora illa *et vanis animis* foras eiecit idemque Bekkerum fecisse ex Fabri adnotatione comperior. In qua emendandi ratione, quamquam me male habet vel optimorum codd. expuncta lectio: tamen haud improbarem, nisi lenior in promptu esset emendatio, qua haud scio an servata optimorum librorum scriptura Livii oratio fortior etiam fiat et elegantior. Conieceram enim antea: *Dux ipse inter stolidissimos ferocissimosque ad arma vocat et vanus animi vanis minis increpat hostem*, corruptelae originem ita explicans: non intellecta elegantiore structura *vanus animi* liberarius haec verba ad insequentia accommodavit, ut esset *et vanis animis et vanis nimis* altero et coniungendi causa inserto. Inde cum duplex *vanis* offenderet in

---

\*) Calami, ut videtur, errore *nimis* pro *minus* legitur in Puteaneo et Colbertino.

bonis codicibus altero deleto scribitur: *et vanis animis et minus*, in deterioribus altera haec sanatio adhibita est, ut verba *et vanis animis* eiicerentur. Nunc vero, quod tantis ambagibus iam mihi non opus est, Friderici Ritschelii gratiae debeo. Quocum cum coniecturam meam communicassem, quae est viri illius humanitas, mihi persuasit, probabiliorem eam futuram esse, si prorsus neglecta deteriorum librorum scriptura optimos tantum libros secutus scripserim: *Et vanus animi minis increpat hostem*. Hanc igitur lectionem nunc praefero.

Genitivi animi cum adiectivis coniuncti — qua structura apud Tacitum et posteriores nihil frequentius est — apud Livium non multa quidem, sed certa exempla sunt. I, 7, 6: (Hercules) *confusus atque incertus animi ex loco infesto agere porro armentum ocepit*. VI, 11, 3: (de M. Manlio Capitolino viro superbis, ut quidem Livius rem describit, opinionibus inflati animi): *Qui nimius animi cum alios principes sperneret* seq. Ibi quoque ob insolitam et inde male cognitam structuram in uno codice eoque bonae notae legitur „animis“ XXX, 15, 9: *Quod ubi nuntiatum est Scipioni, ne quid aeger animi ferox iuvenis gravius consuleret*.

**Lib. XXVI, 6, 2.**

Ubi castra Romana ad Capuam Poeni adgressi sunt: (Romani) *elephantos transgredientes in ipso vallo conficiunt. Quorum corporibus cum oppleta fossa esset, velut aggere aut ponte iniecto transitum hostibus dedit. Ibi per stragem iacentium elephantorum atrox edita caedes*. Si non in ipsa castrorum fossa, sed in aperto campo elephantum strati iacuissent, verba *per stragem* iustam quidem offensionis causam praebent nullam. Cum vero hoc loco elephantum fossam complerent narrentur, ut velut aggere aut ponte iniecto transitum hostibus dederint et in ipsa fossa pugnatum esse,

scriptor diserte tradat: sequitur inde elephantorum corpora pugnantium pedibus fuisse subiecta. Quare verba *per stragem iacentium elephantorum* intelligi omnino non possunt, nisi quis putet, ab hac parte Romanos, ab illa Poenos descendisse in fossam et per ibi iacentes elephantos viam sibi facientes pugnam commisisse, quo quid potest cogitari absurdius? Duae videntur intercidisae litterae scribendumque: *Ibi super stragem iacentium elephantorum* (i. e. super stratos iacentes elephantos) *atrox edita caedes*, cf. XLII, 63, 7. *Nam super stratum ruinis locum stantes accensuros eam se saepem minabantur.*

**Lib. XXVII, 25, 11.**

Cum Fabius Maximus consul Tarentum a Poenis captum recepisset: T. Quinctius Crispinus eius conlega *Locros in Brutiis oppugnare conatus* (est), *quia magnam famam adtulisse Fabio Tarentum rebatur.*

Offendit me Tarenti nomen sic nude positum. Nam ut non omnino latini sermonis genio repugnet, solum urbis nomen poni, ubi agitur de eo, quod urbe aliqua factum est: id a Livii certe dicendi consuetudine procul abhorrere docebunt hi prorsus similes loci: XXVI, 1, 4: (Capua) *urbs tam nobilis ac potens-recepta inclinatura rursus animos videbatur ad veteris imperii respectum*, eiusd. I. 37, 3: *Tarentum amissum damno et dolori fuit*, eiusd. I. 37, 4: *Terrorem subitum Romae obsessae Capua post dies paucos capta in laetitiam vertit*, XXVII, 20, 9: *Fabio Tarentum captum gloriae esse*. XXVIII, 39, 17: *Senatus legatis Saguntinis respondit et dirutum et restitutum Saguntum fidei socialis utrimque servatae documentum omnibus gentibus fore*. XXXV, 39, 3: *Quinctius Demetriadem contendit, ratus Chalcidem liberatam momenti aliquid apud Magnetas facturam* XXXVI, 27, 1: *Heraclea capta fregit tandem animos Aetolorum.*



Quare noli dubitare, quin nostro quoque loco aliquid exciderit et ex scriptoris constanti more legendum sit: *Quia magnam famam adtulisse Fabio Tarentum receptum rebatur. Receptum post rentum quam facile omitti potuerit, aberrante simul librarii oculo ad insequentem vocem (rebatur), quae ab eadem syllaba incipit, vix est quod moneam.*

**XXVIII, 18, 9.**

In convivio apud Syphacem regem a Scipione et Hasdrubale una celebrato, quae Scipionis admiratio Hasdrubalis animum ceperit, sic describitur: *mirabiliorem sibi eum virum (sc. Scipionem) congresso coram visum prae se ferebat (sc. Hasdrubal) quam bello rebus gestis. Nec dubitare, quin Syphax regnumque eius iam in Romanorum essent potestate . . . . . Itaque non, quo modo Hispaniae amissae sint, quaerendum magis Carthaginensibus esse, quam quomodo Africam retineant cogitandum.* Vix putaverim Carthaginensibus ducum suorum exercituumque clades, urbium expugnationes, sociorum proditionem adeo tam brevi memoria excidisse, ut, quomodo Hispaniae amissae sint, ultra quaesiverint. Nec omnino intelligo, quid sibi velit quaestio illa, quomodo Hispaniae amissae sint, comparata cum cura Africam retinendi. Quam enim vim Weissenbornius subtilius quam verius verbo *quaerendum* tribuit, scilicet ut intelligatur inquisitio in duces facta, quos re male gesta Carthaginenses reos peragere soliti sint: ea nec potest ex scriptoris verbis erui et elegantem meherecule oppositionem, quasi cura puniendi imperatores tam gravis fuerit, ut cum illa Africam retinendi apte comparari potuerit.

Nihil certius est, quam Hasdrubalem, cum etiam Africae vires in Romanam societatem inclinare vidisset (*nec dubitare, quin Syphax regnumque eius iam in Romanorum essent potestate*) significare voluisse, iam eo recidisse Car-

thaginiensium opes, ut non tam, quod amisissent (Hispanias), rursus suae potestatis facere deberent conari, de qua re tum inprimis cogitabant, quam id unum curare, ut, quae etiam tum possiderent (Africam), retinerent. Accidit igitur hoc loco, quo nihil in hac decade frequentius accidit\*), ut vox aliqua librariorum incuria intercepta sit; quod hoc quidem loco eo facilius potuit evenire, quod ommissa illa voce sententiae structura stabat. Sic enim legendum puto: *Itaque non quomodo Hispaniae amissae reciperae sint, quaerendum magis Carthaginiensibus esse, quam, quomodo Africam retineant, cogitandum.*

**XXXVII, 33, 5.**

De Romanorum in Asiam transitu contra militum spem pacato. *Ea vero res Romanis auxit animos, concessum sibi transire cernentibus tum in Asiam, quam rem magni certaminis futuram crediderant.* Particulam *tum*, cum ob conlocationem, tum ob sensum ab hoc loco alienam esse, iam pridem intellectum est. Nec tamen acquieverim in ea, quam omnibus fere placuisse video, medela, scilicet ut ex corrupta voce revocetur *transitum*, *transire* verbo, quod praecedat, textu eiecto. Neque enim corruptelae origo inde satis apparet, et a scriptore non substantivum (*transitum*), sed verbum (*transire*) positum esse conligendum videtur ex insequentibus: *quam rem magni certaminis futuram crediderant*; nam si *transitum* praecessisset, Livius dixisset: *quem magni certaminis futurum crediderant*. Quodsi erunt, qui *tum* ut a mala manu inlatum, hinc removendum censeant: etsi ita sententiam aptam efficiunt, quoniam in ipsis verbis: *concessum sibi transire cernentibus* inesse potest sensus: *pacato transire sibi licere cernentibus*, tamen non ad liquidum poterunt perducere, cui tam incommodam vocem

\*) Cf. Madvigium Em. p. 208.

huic loco temere addere in mentem venire potuerit. Aliam igitur quaerens medelam mutilam vocem non sex sed tribus litteris additis sic puto explendam esse: *Ea vero res Romanis auxit animos, concessum sibi transire cernentibus p* (i. e. per) *otium in Asiam, quam rem magni certaminis futuram crediderant. Per otium* aliquid facere ex scriptoris usu loquendi ii dicuntur, qui nullo hoste prohibente aliquid faciunt; cf. XXI, 28, 4 (de transitu Alpium) *Hannibal ceteris copiis per otium traiecit, spernens iam Gallicos tumultus, castra locat, XXVII, 2, 9: ubi nemo hostium adversus* (sc. Romanos in acie stantes) *prodiit, spolia per otium legere.*

**Eiusd. libri 45, 7.**

Post funestam Antiocho regi pugnam ad Magnesiam Zeuxis, unus ex legatis eius, in Romanorum consilio ad mandata regis edenda praebito sic verba fecisse fertur: *Non tam quid ipsi dicamus, habemus, quam ut a vobis quaeramus, Romani, quo piaculo expiare errorem regis, pacem veniamque impetrare a victoribus possimus.*

Drakenborchius, cuius viri indefessa industria mirum quantum scriptori profuit, sed ad cuius animum suspitio perraro descendit, tamen negare non potuit, scabram esse talem constructionem, qualis est: *habemus, ut quaeramus*, nec post eum, quod sciam, iuventus est quisquam, qui patrocinium huius loci suscipere ausus sit. Quod vero Madvigius, ut structuram istam non latinam removeret, deleta particula *ut* pro coniunctivo (*quaeramus*) simpliciter *quaerimus* substituit, hoc quidem dissecare est nodum non solvere. Probabiliorem igitur medelam mihi quaerenti ante omnia hoc tenendum videtur, verbum *habemus* in solo Moguntino codice apparere, si Carbachio fides est; deest autem non in deterioribus solum codicibus, sed etiam in Bambergensi. Quaeritur igitur, quodnam in loco nunc

vaeco relicto a scriptore verbum positum fuerit. Id *venimus* fuisse ut non certum, at admodum videtur verisimile; quod et ad sensum hoc verbum satis accommodatum est et facillime post *dicamus* ob similem terminationem (mus) potuit intercipi. Sed tum stare non potest *quid*, quod ego frustra emendare conatus eram. Itaque locus, ut ita dicam, pro semisanato mihi relinquendus fuisset, nisi me, proprio consilio deficiente, suo adiuvisset Fridericus Ritschelius, qui ad meam coniecturam sua addita in hanc formam conceptam fuisse me docuit Livii orationem: *Non tam quo ipsi dicamus venimus, quam ut a vobis quaeramus, Romani, quo piaculo expiare errorem regis, pacem veniamque impetrare a victoribus possimus.*

**XXXVIII, 46, 14.**

Cum Cn. Manlio proconsuli de Gallograecis triumphum postulanti, L. Furius Purpurio et L. Aemilius Paulus legati adversarentur, bellum, quod gessisset consul, sine auctoritate senatus, iniussu plebis coeptum, nec a fetialibus indictum criminantes, sic in senatu vociferati sunt:

*Vultis ergo haec omnia pollui et confundi, tolli fetialia iura, nullos esse fetiales? fiat, pace deum dixerim, iactura religionis, oblivio deorum capiat pectora vestra: num senatum quoque de bello consuli non placet? non ad populum ferri, velint, inbeantne cum Gallis bellum geri?*

Videat mihi aliquis, quam sit terribile nostra memoria Gallorum nomen! Alioqui enim qui fiat, ut, qui alias nimio fere acumine et miranda sedulitate glossas in textum inlatas rimari soleant, eos hoc loco piscibus mutiores invenias? At ego — seu me patriae seu scriptoris amor hoc cogit —: bellum indico istis Gallis et quam primum loco cedere iubeo. Primum enim qui diligenter adtenderit ad verba scriptoris, statim videbit, non de certo hic bello agi, sed illud quaeri, num, quae ex instituto maiorum antea

semper fieri solita sint, (sc. ut senatus bellum censeat, populus iubeat, fetiales indicant) antiquari iam debeant, ut in posterum consules suo arbitrio nec missis, qui indicerent bellum, cum quibuscumque velint, gerant; id vero, utrum fieret in bello Gallis an Germanis an Parthis indicendo, nihil, si quid video, referebat. Deinde cum de senatu univ-erse dictum sit *num senatum quoque de bello consuli non placet*, perinepte de populo addi apparet: *velint iubeantne cum Gallis bellum geri*, quasi senatus de quovis bello consulatur, populus velit iubeatque tantum ea bella, quae cum Gallis gerenda sint.

Scribendum igitur deletis verbis *cum Gallis: Num senatum quoque de bello consuli non placet? non ad populum ferri, velint iubeantne bellum geri?*

Quod Manlius de Gallograecis triumphum petierat, id nescio cui stolido homini pravi additamenti in textum inferendi ansam praebuit.

### XLIII, 6, 9.

In Lampsacenorum oratione legitur: *Pro eo quod imperatoribus Romanis omnia praestitissent, id se tantum orare, ut in amicitiam populi Romani reciperentur et, si pax cum Perseo fieret, exciperentur, ne in regiam potestatem reciperentur.*

Non tulit eam, quae in verbis *reciperentur-exciperentur - reciperentur* inest molestia, Gronovius; itaque pro posteriore *reciperentur* legi voluit *reciderent* eleganti sane coniectura et merito ab editoribus, quod sciam, omnibus in textum recepta. Sed praeterea, ni fallor, restat aliud vitium etsi parvum, tamen critici cura non indignum. Puto enim latine non dici: *in pace facienda excipimur, ne hoc vel illud nobis fiat*, sed *excipitur* (i. e. cavetur). *Excipere* enim pro *cavere* utitur Livius: III, 30, 6: *id modo excipere* (sc. patres), *ne postea eosdem tribunos viderent*, XX,

119, 3: (cum) in *Hasdrubalis foedere nec exceptum tale quicquam fuerit*. Cic. Q. Fr. I, 1, 9: *cum nominatim lex exciperet, ut ad templum monumentumque (pecunias) capere liceret*. Quare videant, ne hoc loco una syllaba dempta scribendum sit: *Pro eo et quod imperatoribus Romanis omnia praestitissent, id se tantum orare, ut in amicitiam populi Romani reciperentur et, si pax cum Perseo fieret, exciperetur, ne in regiam potestatem reciderent*.

Paullo ante, ubi de Graeciae Asiaeque civitatum legatis agitur, in senatu, quomodo rem Romanam adiuverint, exponentibus, sic legitur de Milesiis: *Milesii nihil praestisse memorantes, si quid imperare ad bellum senatus vellet, praestare se paratos esse polliciti sunt*.

Offendit haud immerito Madvigius, quod vix diserte commemoraverint Milesii, nihil se praestitisse et alio ducant codicis vestigia: *praestitissent*. Inde cum aliquid excidisse appareat, Madvigius coniecit *Milesii nihil, quod praestitissent, memorantes*. Sed ne haec quidem coniectura omni ex parte animum meum explet. Vix enim videtur verisimile, Milesios simpliciter operae navatae mentionem omisisse, quod opem non praestiterint, excusandi causa ne verbo quidem prolato. Quare — quoniam lacunam statuendam esse, certum est — vereor, ne plura interciderint; ea vero ex iis, quae Atheniensium legati prius auditi dixerant: *eos (P. Licinium consulem et C. Lucretium praetorem) sibi centum milia imperasse, quod confecisse et alia quae imperarentur praestare paratos esse* et ex his, quae in Melesiorum legatorum oratione sequuntur: *Si quid imperare ad bellum senatus vellet* haud scio, an probaliter sic possis explere: *Milesii nihil praestitisse (quod Romani nihil imperasse)nt, memorantes, si quid imperare ad bellum senatus vellet, praestare se paratos esse polliciti sunt*. Non mirabuntur ut temerariam talem emendandi rationem, qui hos ultimos scriptoris libros accurate pertractarunt; lacu-

narum enim plenissimi sunt, partim minus apertarum, partim, ut hoc loco, certis indiciis se prodentium.

**XLIV, 2. 2.**

*Eo (i. e. in consilium, quod Q. Marcius Philippus consul de summa belli gerendi habuit) et C. Marcius praetor a Chalcide classe accepta venit. Placuit, non ultra morando in Thessalia tempus terere, sed movere ex templo castra atque inde pergere in Macedoniam et praetorem dare operam, ut eodem tempore classis quoque invehatur hostium littoribus. Praetore dimisso consul menstruum iusso milite secum ferre profectus, decimo post die quam exercitum acceperat castra movit.*

Meram scabiem, quam in postremis his verbis libreriorum vel stultitia vel negligentia scriptori intulerat, sustulisse, laus debetur Madvigio. Is enim, quod nemo *menstruum* dixerit pro *menstruo frumento*, et quod de eodem homine dici, primum *profectum esse*, deinde *decimo die castra movisse*, nugae sint: et *frumentum* in textum recipiendum putavit et *profectus* eiiciendum. Utrumque concedendum puto viro doctissimo, nisi quis pro deleto *profectus* cum Seyffertio praeferat: *perfecta re* (i. e. iusso militibus dato). Sed praeterea inhaeret animo suspitio, quam, etsi iustissimam esse puto, tamen invitus fere promo; vitium enim non tam certis argumentis coargui potest, quam sentiri. Utcunque erit, iuvabit certe ex animo scrupulum evellisse. Nam equidem non reperio, cur inter ea, quae in consilio de bello gerendo constituta sunt (movere ex templo castra, pergere in Macedoniam, praetorem dare operam, ut consulis impetum adiuvaret), et quae consul ex eius consilii sententia statim facienda curat (*menstruum frumentum iusso militem secum ferre castra movit*), praetoris dimissio interponatur. Quid enim praetoris profectio cum hoc consulis iusso habet commune? Eane prius expec-

tanda fuit quam consul consilii sententiam exequi potuit? Et cur solius praetoris dimissio commemoratur? Nonne alii apud consulem fuerant et ipsi ab eo dimittendi? — Quare aut omnia me fallunt aut sub verbis *praetore dimisso* latet aliquid, quod ad omnes istos pertinet, quos consul ad consilium adhibuerat, quibus dimissis ipse ea, quae ibi placuerant, facienda curavit. Idque tibi praestabo mutatione ea, quam mutationem vix recte dixeris. Scribe enim *Placuit* seq. *Praetorio dimisso consul* seq.

Locutio *praetorium dimittere* (den Kriegs Rath entlassen), praeter hunc locum quater in scriptore recurrit. (XXI, 54, 3: *Ita praetorium missum*. XXVI, 15, 6: *Fulvius dimittens praetorium tribunis militum imperavit* seq. XXX, 5, 2: *Tribunis edicit [Scipio] ut, ubi praetorio dimisso signa concinuissent, extemplo educerent legiones*. XXXVII, 5, 2: *Acilius, priusquam praetorium dimitteret, denuntiavit, ut ante lucem armati paratique essent*). Quod et ea librariis minus nota erat et C. Marcius praetor ad consilium adhibitus consulis impetum adiuvari iussus erat: patet, quam facile hic corruptela oriri potuerit.

### **Eiusd. libri 35, 6.**

(In consilio Aemilii Pauli consulis, ubi disceptabatur, utrum per Elpei ripam, quam firmissimis munimentis rex Perseus firmaverat, vis temptanda, an alia via in Macedoniam penetrandum esset): *Placebat quibusdam et maxime maioribus natu, per Elpei ripam munitionesque vim facere: confertis et uno agmine impetum\*) facientibus resistere Macedonas non posse, ex tot castellis... priore anno*

---

\*) Sic ex codicis scriptura: *conferto et uno facientibus* legendum esse, probabiliter coniecit Ioannes Vahlenus (Zeitschrift für d. österreich. Gymn. 12. Jahrg. 1861 S. 11) pro eo quod antea legebatur: *vim facientibus*.



*deiectos. Aliis placebat Octavium cum classe Thessaloniam petere et populatione maritimae orae distringere copias regias, ut altero ab tergo se ostendente bello circumactus ad interiorum partem regni tuendam nudare aliqua parte transitus Elpei cogeretur. Ipsi natura et operibus inexsuperabilis ripa videbatur et praeterquam quod tormenta ubique disposita essent, missilibus etiam melius hostes uti audierat. Alio spectabat mens tota ducis dimissoque consilio Perraeos mercatores... percunctatur, quales ad Perraeiam transitus sint. Cum loca non iniqua esse dicerent, praesidiis autem regiis obsideri, spem cepit, si nocte improvise... adgressus esset, deici praesidia posse.*

Audiamus Kochium \*) sic de his verbis disputantem: *In hac Aemilii cum consilio deliberatione describenda affertur primum sententia eorum, qui per Enipei munimenta vim faciendam esse censebant, deinde eorum, qui ad Enipei transitum nudandum regis copias distingere cupiebant, tum Aemilii ipsius, cuius mens tota alio spectabat. Inter haec intericiuntur verba „ipsi“ cet., quae quum ad Aemilium referri nequeant propter verba „alio spectabat mens tota ducis“, necessario ad eorum sententiam pertinent, qui transitum fluminis propter difficultatem temptandum non esse censuerant. Itaque scribendum est: Cuius... inexsuperabilis ripa videbatur et... missilibus etiam melius hostes uti audierant. —*

Haec Kochius; qui optimo iure offendit in verbis *alio spectabat mens tota ducis*, quae me quoque admodum male habent, etsi vulgatam lectionem nuperrime tueri conatus est Vahlenus loco supra laudato p. 12, qui vir alias semper pereleganti usus est iudicio, hoc loco non item. Putavit enim locum sic debere intelligi, ut in illis: *ipsi... videbatur* consulis sententia aperiatur, qualis ceterorum,

\*) Brandenburg. Programm v. J. 1860 S. 17.

qui in consilio erant, iudicio fuerit opposita (das negative Urtheil des Consuls); in illis: *alio spectabat mens tota ducis* contineatur, quid consul ipse faciendum putaverit (das positive Urtheil des Consuls). Audio; sed nec Kochium in his puto offendisse, nec, si offendit, recte offendit; mihi offensioni est alia res; nam ubi consulis sententia iis, quae alii censuerant, opponitur, non licet in initio sermonis indefinite dici *ipsi videbatur*, tum demum sententiae parte iam adlata, certiozem sequi consulis notionem verbis: *alio spectabat mens tota ducis*. Expectatur enim aut in initio sententiae: *consuli* vel: *duci ipsi* aut si prius *ipsi* tantum subintellecto *consuli* vel *duci* dictum erat, non certiozem iam sequi consulis commemorationem. Nam profecto ut nunc se sententiae excipiunt, nemo aliter haec verba intelliget ac si qui prior nominatur (*ipsi*) et qui postea sequitur (*dux*) diversae fuerint personae, quo nihil potest excogitari perversius.

Quare facere non possum, ut non cum Kochio loco corruptelam subesse putem; nec tamen coniecturam ab eo propositam probō, quippe qua vetere vitio sublato novum inferatur non minus foedum. Nam quod dicit verba *ipsi . . . videbatur* ad eos pertinere debere, qui transitum fluminis propter difficultatem temptandum non esse censuerint: ne erant quidem in Romanorum consilio, quibus ea fuisset, praeter consulem ipsum opinio. Id inter eos, qui alius sententiae ac consul erant, ambigebatur, utrum Romanis contra totum statim Macedonum exercitum per Elpei ripam vis facienda esset, (eos primo loco scriptor nominavit) an (ei secundo loco ponuntur) Octavius prius cum classe Thessalonicam mittendus, ut populatione maritumae orae copias regias distringeret et aliqua pars Elpei a rege nudaretur. Ergo, qui posterioris huius sententiae erant, non opinabantur omnino non temptandum transitum Elpei esse, sed tum demum, cum parte regiarum copiarum ad tutandam maritimam

oram dimissa, consulis exercitui transitus res minoris et periculi et laboris foret. Hoc enim spectabat cura illa distringendarum regis copiarum et Elpei alicuius partis ab iis nudandae. At si omnino isti homines per Elpei ripam transitum conari Romanos nolebant, quonam iure scriptor de consule dicere potuit: *alio spectabat mens tota ducis*, cum consulem ea stetisse sententia, ut ob inexcuperabiles difficultates omnino non transire Elpeum Romani conarentur, sed ut per Perraebiam transitum experirentur, et hanc suam sententiam etiam executum esse consulem, tota insequens Livii narratio luculentissime ostendat?

Quaeritur igitur, quomodo probabilius tolli vitium possit, in quo et Kochius egoque haesimus et semel admonitos facile omnes puto haesuros? Ad id imitanda nobis erit boni medici consuetudo, qui salutis causa ne acriora quidem remedia solet aspernari. Adscribendus enim hic locus iis videtur, quos permultos notavit Madvigius Em. p. 163; 423; 463 al. ubi voces aliquot, primum librariorum incuria omissae, deinde margini adscriptae pravo postea loco sermoni insererentur. Omnia enim recte habebunt, si mecum transpositione facta sic scripseris: *Placebat quibusdam . . . per Elpei ripam vim facere . . . Aliis placebat Octavium cum classe Thessalonicam petere et populatione maritimae orae distringere copias regias ut . . . nudare aliqua parte transitus Elpei cogere. Alio spectabat mens tota ducis; ipsi inexcuperabilis ripa videbatur et . . . melius et certiore ictu hostes uti audierat; dimissoque consilio Perraebos mercatores . . . percunctatur, quales ad Perraebiam transitus sint.*

Ac tales loci poterunt documento esse, quod Vahlenus pag. 13 de singulis vocibus transponendis rectissime monuit: „Die Herausgeber und Kritiker des Livius haben eine auffallende Scheu vor dem Mittel der Kritik, das in der

Umstellung der Worte liegt: wer, um nur von den letzten Büchern zu reden, sich die grosse Zahl von Versehen dieser Art in dem Wiener Codex vergegenwärtigt, wird jene Scheu für unbegründet halten:“ *id in totas sententias transponendas non minus cadere.*

**Lib. XLV, 37, 6.**

(In oratione M. Servilii consularis contra Ser. Sulpicium Galbam, qui Aemilio Paulo, Graeciae domitori, ob privatas immicitias adversabatur:) *cui crimen nullum, nullum probrum dicere poterat, eius obtrectare laudes voluit.*

Quamquam inde a pueris docti sumus, obtrectandi verbum tertium casum adsciscere: tamen ante Madvigium omnes haec verba silentio praetermiserunt. Is vero, cum accusativum Tacitus demum et eius aequales habeant, locum notandum duxit. Quod recte eum fecisse certum est. Nam a Livio certe talem structuram abhorreere dedita opera omnibus conlatis exemplis mihi persuasi. Sunt autem tria haec: XXV, 41, 3: *Advolant Numidae nuntiantes populares suos, quod praefectum suum ab obtrectantibus ducibus gloriae eius ablegatum videant, quieturos in pugna.* XXXVI, 34, 3: *merito iratus erat (T. Quinctius), quod solos obtrectasse gloriae suae meminerat.* VIII, 36, 4 (in passivo genere) *de industria, ut obtrectaretur laudibus ducis, impedita victoria est.*

Itaque, nisi quae apud diversos scriptores diversisque aetatibus in usu erant, confundenda iam sunt: traditae lectionis defendendae viam video nullam, emendandae duplicem. Aut enim calami errore *obtrectare* ortum est ex *detractare*, quo verbo utitur Livius XXXVIII, 49, 5: *Caeca invidia est nec quicquam aliud scit quam detractare virtutes*, aut altius latere corruptela putanda est. Nec temeraria videbitur suspitio, a scriptore verbum significantius et magis exquisitum positum esse, quod cum raro legeretur

explicationem postulare videretur, deinde hanc ipsam explicationem in textum receptam veram lectionem removisse. Fortasse igitur sic scripserat Livius: *cui crimen nullum, nullum probrum dicere poterat, eius adlatrare laudes voluit.*

Adlatrandi verbum, quod dicitur de homine, qui oecaeatus cupiditate veri criminis materia deficiente fictis vanisque criminationibus adversarium suspectum facere studet, et ad hunc locum aptissimum est et facile per *obtrectare* explicari potuit; est enim nunc in scriptore ἄπαξ εἰρημῆνον XXXVIII, 54: *Morte Africani crevere inimicorum animi, quorum princeps fuit M. Porcius Cato, qui vivo quoque eo adlatrare magnitudinem eius solitus erat.*

Prior tamen medela ut simplicior mihi videtur praestantior; alteram ob id non negligendam duxi, ne, si forte — quae nunc est glossas investigandi diligentia — alii in eandem inciderint, me ut lippum derideant, quod rem tam claram tamque apertam non viderim.

In eiusdem Servilii oratione sequuntur (cap. 39, 2) haec: *Quodsi in curru scandentes Capitolium... L. Paulus privatus interroget: L. Anici, Cn. Octavi, utrum vos digniores triumpho esse an me censetis? currum ei cessuri et prae pudore videntur insignia ipsi sua tradituri.*

Structura *cedere alicui rem pro concedere*, cum nullo huius quidem aetatis scriptoris exemplo defendi possit, Madvigius e codicis scriptura: *currum i cessuri* legendum proposuit aut: *curru descensuri* (id quod Hertzius recepit), aut: *currum ei concessuri*. Sed recte habebit locus, si deleta littera *m* (in *currum*) ut ex lineola — temere superimposita orta, scripserimus: *curru ei cessuri*. Eandem enim structuram habes XLV, 11, 11: *non aliter exercitum reducturum, nisi sibi tota Cypro cederet* (rex).

Restant emendanda quae sequuntur eiusd. cap. §. 9: *Cui sortito provinciam, cui proficiscenti praesagientibus animis victoriam triumphumque destinavimus, ei victori*

*triumphum negaturi? et quidem non tantum homines, sed deos etiam suo honore fraudaturi?*

In his non solum praeunte Madvigio post *negaturi, sumus* addendum videtur, sed etiam *que* post *triumphum* delendum. Nam et in eo cernitur Romanorum stultitia, ut qui nondum certa victoria (*praesagientibus animis victoriam*) Aemilio triumphum destinaverint, tum re vera victoria reportata (*victori*) triumphum sint negaturi; non in eo, quod cum proficiscenti consuli et victoriam et triumphum destinaverint, tunc ei alterum tantum (triumphum) negatum voluerint; et aegre ad *praesagientibus animis* desideramus obiectum\*), nec denique, quemadmodum triumphum, quae res penes ipsos erat, alicui destinare Romani recte dici potuerunt, item victoriam. Apparet hominem, qui duos accusativos (victoriam - triumphum) iuxta positos non intellexerat, particulam (*que*) addidisse.

I puer atque meo citus hanc expunge libello.

---


\*) Cf. I, 38, 7: *Iam praesagiente animo futuram olim amplitudinem loci* XXX, 20, 5: *Iam hoc ipsam praesagiens animo praeparaverat ante naves.* Plinius h. n. X, 24 extr.: *Totis noctibus canendo Boeotii praesagivere victoriam.*

**V I T A.**

---

Natus sum Aquisgrani anno huius saeculi XLII, patre Iosepho, matre Carolina e gente Iansenius adhuc superstitibus. Fidem profiteor catholicam. Decem annos natus gymnasium adii Bonnense, quod sub Ludovico Schopeno, viro clarissimo, floret. Per octo ibi annos versatus universitatis Bonnensis civibus adscriptus sum, ubi per septem semestria, saepius adversa valetudine a litterarum dulcissimis studiis distentus, docentes audivi hosce viros: Diez, Heimsoeth, Iahn, Loebell, Reifferscheid, Ritschl, Ritter, Schaarschmidt, Schmidt, Schopen, Simrock; qui etsi omnes de studiis meis optime meriti sunt: tamen imprimis me sibi obstrinxerunt Otto Iahnus et Fridericus Ritschelius, quippe qui me dignum iudicaverint, quem in seminarium philologicum receptum interiore, ut ita dicam, institutione sua frui paterentur. Ritschelii praeterea erga me benevolentia factum est, ut exercitationibus epigraphicis interesserem, quod ob temporum angustias non ultra semestris spatium mihi licuisse valde doleo. Talium igitur virorum, quos ut nactus sim praeceptores, bono meo fato factum dico, gratam memoriam nunquam non animo meo polliceor inhaesuram. Denique magnopere mihi peccare viderer nisi pio gratoque animo mentionem facerem Ioannis Freudenbergii praeceptoris mei adfinitatis et amicitiae vinculis mecum coniunctissimi, qui, quae est animi eius liberalitas, et bibliothecae suae opibus pro meis uti me iussit et animo semper paratissimo egregio suo consilio studia mea adiuvit; quapropter ei publice gratias ago quam maximas.

---




**T H E S E S.**

---

- I. *In glossematis rimandis vehementer optandum est, ut maiore incipiant critici cautione uti.*
- II. *Locus depravatus Horatii (Sat. I, 3, 120) facillime sanatur sic interpungendo:*  
 „Nam ut ferula caedas meritum maiora subire Verbera?  
 — Non vereor, cum dicas esse pares res,“ cet.
- III. *In Sophoclis Oedipo Coloneo (vers. 1551 edit. Dindorfii) legendum coniicio:*  
 „ἄθῃ γὰρ ἔρησεν τὴν τελευταίαν, βίον ζούψων παρ' Ἀιδῆ“ cet.
- IV. *Versuum ordo in Poenuli prologi initio tralaticius ferri nequit.*
- V. *In verbis Taciti: „Pergere ad Treviros et externae fidei“ (Ann. I, 41) delendum est „et“.*
- VI. *Quam sibi de optima rei publicae forma speciem finxit Plato: ea vita non potest exprimi.*
-





LIBRARY OF CONGRESS



0 003 093 156 7 ●